Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Compendium historicum - Cod. U. H. 20

Scholley, Friedrich von

[Sulzbach, Oberpfalz (?)], [um 1632]

[Text]

urn:nbn:de:bsz:31-231895

Visual Library

Anno 1510. mense Februario quidam vir Sacrilegus Paulus Form
in Marchiæ Brandeburgensis villa Knobloch intempesta nocte e
templo furatus est arculam inauratam, qua Sacrosancta Eucha-
ristia vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more asservabatur.
Erant autem in ea Hostiæ duæ, altera major, altera minor.
Multa jam luce adiit Scelestus ille Judæum arculam vendi-
turus. Judæus facile animadvertens, ejusmodi usum ea habuisset,
ait majus pretium se fuisse daturum, si rem contenta vendidis-
set. Tum ille furcifer, qui jam alteram miser Judæ sathanica
pietate deglutierat, reliquam e sinu depromptam obtulit,
Judæo æstimandam, a quo tamen non nisi pauculos exigui
pretii nummos accepit. At miser ille tanto jam obstrictus
scelere, sævæ conscientiæ furiis quibusdam exagitatus, fugit
inde ad Vandalos: [Extant enim hodie Vandalorum reli-
quiæ; et ipse quoque Brandeburgicus princeps se Vandalorum
Dominum scribit] Sed cum res minime lateret, domum
rediit, captusque et tortus quid egisset, confessus est. Interim vero
sceleratissimus Judæus hostiam sacram crebris pugionis ictibus
identidem confodere nititur: at nihil se proficere cer-
nens, hostia integra permanente, quodam furoris oestro
percitus, si tu es inquit Deus Christianorum, redde te mani-
festum in millia dæmoniorum nomine. Atque ecce subito hostia
in tres diducta partes, sanguineo per oras humore madet.
Territus Judæus particulas panno involutas mensem unum
apud se retinet, ac deinde duobus aliis Brandeburgi et Stan-

ditij morantibus singulas particulas mittit, tertia sibi reservata
quam rursum mensæ impositam pugione confecit, unde sangui-
nis guttulæ dimanarunt. Consternatusque ille et veritus se pro-
ditum iri, particulam absumere nititur, sed non valet: dein
mittit in aquam, at illa enatat: tertio in ignem projicit, sed
nihil id hostiæ nocet. Ad extremum sub paschalis natiuitate
solennitatem azymos coxit panes, particulamque masculi azy-
mi panis immixtam in furnum jactavit, moxque furnus alio-
qui obscurus resplenduit. Novo ille terrore correptus, masculam
illam cum particula alteri cuidam Judæo transmisit. Jam
res erat prolata in publicum et Marchio Judæos omnes in ipsius
ditione morantes Berlinum acciri et in vinculis teneri jussit.
Habita autem ex illis quæstione præter alia flagitia non pa-
rum multa fassi sunt, se intra paucos admodum annos se-
ptem Christianorum infantes acubus et punctionibus per-
emisse. Igitur in illos sententia 40. flammis traditi sunt.
tres alij Judæi baptisma perceperunt quidem, sed postera
die duo capite plexi sunt, tertius aliquibus pro eo rogantibus
vita donatus, Divi Francisci institutum Berlini com-
plexus est. Porro ter execrandus ille sacræ hostiæ prodi-
tor Paulus Fromm candentibus discerptus ferris in cine-
rem tandem vorantibus flammis redactus est. Denique Judæi
omnes e tota Marchionis ditione ita proscripti sunt et
exterres ut sub pœna capitis omnino aditu pariter interdictum sit.

Anno 1556. Accidit in Poloniæ regno res memorabilis. Fæmina quædam
vilis Dorothea Lazerka nomine christiana quidem professione in op=
pidulo Sachareto non longè ab arce Lovitz cuidem Judæo annis ali=
quot serviebat. Interim verò Judæus saepius illam sollicitat ut sacro=
sanctum Christi corpus more christiano cum cæteris acceptum ipsi
perferat: In ejus flagitij præmium promittit ei Taleros tres,
et vestem sericis fimbrijs ornatam. Et quid non mortalia co=
gis pectora auri sacra fames. Fæmina scelerata conditione
accipit tantillo illecta munusculo, et in ipso paschatis pervigilio
abit ad pagum Cotze [?] dictum ibi cum cæteris accedit ad
Aram, et instar Judæ accipit Eucharistiam: ac paulò post ex
ore extractam in sudariolum reponit, et tertia paschatis fe=
ria Judæo hero suo illam tradit: ad quem tres alij Judæi
huic oppidulo vicini puta, Michalecq [?], Sachaq [?] et Josephus,
veniunt fortassis ab illo invitati, sacrosanctam Eucharistiam
in suam Synagogam deferunt, pugionibus et cultris confodi=
unt. Et ecce repentè ex illa Hostia multus emanat cruor
quem perfidi Judæi cochleari in vitreum calicem trans=
fundunt. Ante omnes mulier scelesta Sachareti compre=
henditur, inde Judæus ejus herus. Hi confitentur rem ge=
stam omnem. Per id tempus Poloniæ Rex Sigismundus Vil=
næ erat, quæ est Litvaniæ metropolis, et erant tum in Po=
lonia, qui Eucharistiæ utramque speciem necessario puta=
rent porrigi oportere. Ubi Rex quid actum esset cogno=
vit, mandat Oppiduli præfecto Scaurbetio [?] ut rem exactè diligen=
ter investiget, et si ita factum sit ut narratur in omnes
ejus flagitij complices extremo supplicio animadvertat.
Itaque Dorothea et Judæus prius habita quæstione die Veneris

post Christi adscensionem flammis exuruntur. Reliqui Judaei
sceleris socij uno dempto qui aufugerat, Kalendis Junij combu
runtur. Voluit omnipotens Deus hoc insigni miraculo, qualia
saepe alias circa sacratissimam Eucharistiam contigere, eorum
castigare incredulitatem, qui perinde ac si non sit totus Chri
stus sub utralibet specie, ita prorsus infideliter et insipien
ter calicem eflagitant: qui si calluissent in iis quae sunt Christianae
religionis benè instituti, scirent nunquam Christi corpus, postquam
è sepulchro redivivum surrexit, ab anima, à sanguine, à
divinitate separari, sicque libentissimè unius speciei perceptio
ne contenti forent.

Ex Johannis Cuspiniani Opere de Imperatoribus, & Marchionibus Austriae.

Leopoldus cognomento illustris primus Marchio Austriae Ungaris per totam Germaniam saevientibus. Sed cum forte per ea tempora dignitates illae seu magistratus non pervenirent ad haeredes vel nomina Marchionum, tunc interierunt vel negligentia Scriptorum ad nepotes non transierunt.

Unum invenio sub Henrico I°. Imp: Rudingerum de Bechlarn Marchionem Austriae sine sobole decessisse; et in vetustissimis annalibus tres alios qui sua adhuc hodie perseverantia monimenta habent in Austria reliquisse; quibus nomina plane germanica fuerunt: ut Rudingero, Berchtoldum scil: Gundoldum et Gumpoldum a quibus oppida & villae nominata sunt corrupte hodie; Petersdorff vocant, Gundolsdorff, et Gumpolskirchen, ut Gumpolsdorff nobilissimis viris clarus in Austria: Ubi hi Marchiones olim habitarunt, priusquam urbs Vienna esset extructa. Et puto hunc Leopoldum primum illustrem dictum Gundoldi fuisse quartum fratrem, qui extruxit castellum patria lingua Leopoldsdorff.

Et ideircò Cæsarem Henricum I invenio an: à nato Jesu 928. substituisse Ducem Leopoldum primum ejus nominis, quem nos primum Marchionem in Austria nuncupamus. Ejus quidem potens Melicum arcem (Kloster Molck) possedisse, quod ferreum castrum nuncupabatur.

Obijt Leopoldus an: 988. cùm prius in Canonicos sæculares cum necessaria provisione in templo arcis sua instituisset, qui Deo laudes psallerent. Habuit autem uxorem Ricardam Ottonis Ducis de Braunschweig filiam Henrici Imp: sororem è qua duos sustulit filios Henricum sc: Marchionem et patris successorem ac Popponem Treviriensem Episcopum. Ipse ideò cum conjuge sua sepulti quiescunt in Melico, in medio templi ante chorum sepulchro.

Austriæ secundus Marchio Henricus I. cognomento rebellis, sub hoc S. Colomannus ex sanguine Regum Scotiæ, dum terram sanctam quæreret in has dela[tu]s terras in oppidulo Ripensi, quod à truncis arborum in Danubium per inundationem crebram colla[p]sis nomen sortitur Stockeraw, q. dicas terram

tum eorum, Asturis olim appellatum martyrium passus est. Et cum Marchio corpus sancti viri in arbore toto anno et sex mensibus suspensum inaudisset et illaesum et terrae traditum pari temporis spatio non tabescere, jussit effodi et Melicum cum summa veneratione transferri quod a Megirardo Halberstadensi Episcopo factum fertur anno 1014. cum Henricus 2. Imp: Romae in eodem anno a Benedicto 8.vo inungeretur. Obiit Henricus anno 1018. in Melico cum conjuge sua sepultus.

Albertus 3. Marchio Austriae cognomento victoriosus filius Henrici obiit an: 1056. in Melico cum conjuge sepultus, uxor fuit Adelheida Petri Ungarorum soror.

Marchio Austriae 4. Ernestus cognomento strenuus filius C. Hic ferrum Lanceae S. Mauritii cum ligno Crucis et pateram D. Udalrici attulit in Melicum. Nam D. Udalricus Eps. Augustensis circa an: 953. claruit; occisus est apud fluvium Traustrum, qui patria lingua Unstrut vulgo dicitur an: 1075. relinquens filium Leopoldum successorem.

Leopoldus 5. quintus Marchio Austriae pulcher

cognominatus an: 1075. successit patri Azonem ob fortiter res gestas secum extendit Marescallum acquisivit ... cernam Austriae in beneficium erogavit, qua eo anno 1083. ut Deo gratias persolveret percepti honoris ac beneficii templum in honore Apostolorum Philippi et Jacobi construxit, ab Episcopo Pataviensi Altmanno consecratum in eo Austriae loco, qui vulgo appellatur Azmanswisen quasi dicas Azonis pratum. Inde Chüenring à nepotibus Arx extructa à fortitudine fundatoris Azonis. Azo ducta uxore Treuta tres filios Anshelmum, Azonem et Adelberonem genuit. Adelbero qui se primum ab arce constructa de Chüening vocavit, à quo nobilis haec familia originem de cognatione Marchionis Austriae duxit et hodie in Austria viget: fundavit Monasterium Zwettel, parochiam in Gfors dorff prius à se erectam.

Ex hoc Azone insignes familiae descenderunt, ut sunt Sonnenberg, Falckenberg, Buchberg, Mistelbach, Volckendorff, Schonberg, Starchen

berg, Kranichberg, Hackenberg, Velsberg de Liewenstein, Ottenstein, de Turstein et Bottendorff de Krey, de Wittengau, de Weitrau, de Capela.

Autor libri: Scribam quae reperi in vetustissimis annalibus, liberum sit cuique vel fabulosum vel verum censere: saepe enim Deus opt: Max: nobiliores quoque sinit labi, ut sese agnoscant, et homines sese fore recordentur.

Leopoldus hic noster, cum ob miram corporis elegantiam Pulcher esset cognomento dictus uxorem cepit Itham Henrici 3. Imp: filiam et sororem Henrici 4. Imp: Hanc cum frater ejus Albertus qui tum in Berneck castro habitabat, vocatus a Leopoldo, qui ejus gratia eo die venabatur ut fratrem laute et opipare acciperet et ideo absens esset, pulchritudine captus feminae, violenter, ejectis puellis quae illi subministrabant constuprasset: reversus in castrum Gars domicilium suum ubi habitabat, reperit moestam ac pene moribundam uxorem amissa pudicitia. Quae ubi fassa est facinus

crudele, injunxit illis secretioribus ministris quibus hoc delictum innotuit quam gravissimus sub poena silentium, omniaque dissimulabat prudens ac sciens. Albertus frater qui hoc crudo stupendum facinus lenis est a posteris cognominatus frater mirificus, miratus silentium, taciturnitatem domina Lithua laudavit. Sed cum Ducis Poloniae filiam brevi post duxisset, conjugem vocato fratre Leopoldo, qui armata manu, ut sese ulcisceretur positis in campo tentorijs advenerat, captaque occasione fratris conjugi eandem vim intulit, eamque palam sub papilionibus constupravit. Sed scelus hoc, quia palam fiebat tegique non poterat, ad arma ventum est. Hinc fraternae acies utrinque stabant ordinatae & cominus & eminus arma jaciebant. Pugnatum est saevissime in multam noctem usque, ac caedes tanta est edita, ut sanguinis rivus in eo campo videretur fluere: paucisque fuga elapsis tot tantaque cadavera terram oppleverunt, et castrum ubi is factus est conflictus a crudeli hac pugna Mordberg sit appellatum, quod vulgo hodie corrupte Muilberg dicitur. Albertus rem ad Imp.r detulit, is vocato Leopoldo Genero, cum crudele hoc facinus principe indignum

objiceretur quod sibi injuriam frater ac successori intulis-
set trepide respondit. Territus hoc quoque scelere rem dupl
componendam: remotis arbitris, ne vitia illa magis
palam innotescerent injunxit Leopoldo majori natu,
quia ipse palam peccasset, ut a minori natu fratre Al-
berto flexis genibus flexis genibus feuda in praecedentibus
IX. vexillis submisse acciperet servata tamen
dignitate Marchionatus: frater autem Albertus
Landgravius minus honorifico titulo uteretur.
Sic res inter fratres sopita est.
Sed Leopoldus rebellis Henrico 4. Imp: obiit in
Melico juxta patrem Ernestum sepultus, cum ex
pulsis Canonicis, qui inhonestam duxerant vitam
Monachos regulae S. Benedicti imposuisset Monasterio
an: a nato C: 1096. quo fere aut paulo ante annus
4. tempore Altmannus Pataviensis Eps ob eius post
vitae sanctimoniam in numerum electorum relatus,
Monasterium Gottwense cum Canonicis regularibus
instituit, qui post etiam versi sunt in Monachos S. Bene-
dicti vulgo Kutteniuni.
Itaque Leopoldi conjugis primogenita Elisabetha Ot-
togari Suevorum Marchionis et Stiriae conjux

mater Leopoldi & junioris Ottocari Marchionum Stiriæ
secunda Leutoldo Marchioni Moraviæ desponsata est
filio Conrado Ducis Bohemiæ, Helbvigis 3. Bretislao
Ducis Bohemiæ, Wladislai regis filio cessit uxor:
quartam Conrado Bavaro hirsuto pater despondit
Leopoldus, quintam comiti Sighardo, sexta dicta est
uxor cuidam magnifico, cujus nomen nescitur, nec ha-
ctenus invenire potui, inque dotem oppidula duo Ipsam
et Persenbeugam cum castro, quidem et Comitatum
Peilstein, quartæ & quintæ comitatum de Scala in
dotes contulerat. Itaque familia Leopoldi ex tale fæminæ
defecit, tandem & degeneravit in comites.
Ecwardus comes in Berneck habitans Monialium
fundavit monasterium quod vulgo Gerens vocatur, for-
te à Geras derivatum, quod Præpositum habet qui
ad Comitia Austriæ venit, quoties fiunt.
Austriæ sextus Marchio Leopoldus 4. cognominatus
Pius gubernationem Marchionatus suscepit anno
1090. tunc temporis erant parricidialia bella inter
Henricum 4. patrem & Henricum 5. filium Imp.
Leopoldus cum Stephano 2. Ungarorum rege congressus

Austriā ejecit, unde & Leopoldus militarem baltheum
ob singularem fortitudinem accepit a°: 1204.
Defuncto Henrico 4. Imp: quatuor erant competitores
Imperij Conradus Sueviae dux, Fridericus frater nepo-
tes ex sorore Henrici Imp: 4. et privigni Leopoldi Mar-
chionis nostri, qui tertius erat et Carolus Flandriae
comes. Sed arte & ingenio Praesulis Moguntini,
Lotharius maritus est Caesar designatus.
Marchio itaq. Leopoldus ducta conjuge saepe memor
socij sui Imp: senioris cladem, qua filia ejus Agnes
tanquam devotissima mulier ingeminiscebat mise-
ram ex patris casu maestior semper facta quoties ser-
mo de hoc inciderat: nam ejus corpus in quinquen-
nio inhumatum impius filius relinquebat ante vesti-
bulum templi Spirae, quod diris Pontificis esset execratus
Caesar pater in poenitentiam versus pius princeps
quod sine caussa seniorem reliquisset coepit cum uxore
sua Agnete, cui delictum id profecit secreto deliberare:
ut pro admisso perjurio sese Deo conciliaret.
Agnes conjux devota mulier marito suadet ut locum
dignum designet, in quo laudes Christo dicantur et

Divae ejus Genetrici Mariae pro monasterio condendo ut misericordiam à Deo consequerentur ambo. id utrisq visum est pium opus pro reconciliatione. Dum has sanctas inter se cogitationes meditantur. Cernente enim in altissimo monte Cetio ubi Leopoldus habitabat suam Fenestra Arcis tum fluenta Danubij sic forte contem, plantes conspiciebant) levi Zephyro flante est è capite Agnetis flammeolum in nemus & sylvam pro, ximam in ripa Danubij delatum: q. cum post multos annos Marchio dum venaretur inter dumeta insperato illaesum et recens invenit in frutice sambuci post novem annos sol: non sine Dei opt: Max: numine factum animo revolvens laetus ac hilaris arripuit et conjugi carissimae gestiens prae gau, dio attulit, quae laeta id recipiens, carissime mari te, is locus hinc est à Deo designatus, quem sibi vult dicari; hic opes nostras congeramus, admissa scelera diluamus, Deumque nobis propitium reddamus.

Mox advehuntur saxa, accersuntur Architecti, se cantur ligna, locus sentice sus arboribus & dumis distinctis purgatur, area constituitur, ut fundamen

firma pro templo & coenobio jaciantur.
Monasterium inde appellatum, in quo Deus religiose co-
lebatur et adorabatur. A multis annis post sub Justino
majore S. Benedictus in monte Cassino continentia vitae
mirabilis coenobium instituit an: a nato Jesu 574. cir-
citer virosque collegit, qui sub quadam regula honestam
viverent vitam; Coenobium quasi dicas communis
vitae. Talis Monachus fuit Cassiodorus Ravennas, hu-
manis ac divinis literis satis eruditus Romanus con-
sul. In coenobijs iterum optimae artes docebantur eru-
diebantur fratres in virtutibus ac disciplinis, vitam vive-
bant honestam ac sanctam. omnis conatus erat in adipi-
scenda summa eruditione ac tranquillitate vitae.
Sic S: Bernhardus dehinc coenobium Cisterciense sub
anno humanae reconciliationis 1098. primum fundavit.
Sed S: Bernhardus cum socijs, cognatis & affinibus tri-
ginta fere Cistercium ingressus dicitur an: 1117. et
Cisterciensis tum Religio coepta est, quae viros habuit erudi-
tione insignes, qui in talibus coenobijs alebantur.
Primum gymnasium Parisiense Carolus Magnus
praeceptoris sui Alcuini cohortatione sub annum

Christi 791. circiter instituit, à quo caeterae scholae de=hinc sunt derivatae.

Claustra & Monasteria differunt: Claustra hanc appellationem sortita sunt, q: in carceribq clauderentur illi qui tt enormiter et gravissime delinquebant, vel parricidia vel homicidia, qui et eleemosyna quae à pijs largiebantur visitabant.

Qui enim sub Friderico Imp: Barbarossa cognominato et deinceps fratres Mendicantes dicti primum in lucem prodierunt, perpetuum coelibatum, obedientiam extremam ac inopiam perpetuam jureiurando promittentes. Qui praedia vineas agros nu=raq possideant ac honores quoscunq ambiant Episcopatus ac caeteras ambitionem gerentes dignitates ipsi viderint. Sed in abusum omnia sunt versa, in universo quippe orbe nullq status nulla conditio nullq sexus curat q sua sunt agit. Ideo videmus hac aetate, villas, oppida urbes provincias, regiones regna milliis imminui desolari & devastari et aedificia corrui sursq deq verti.

Austriæ Marchio 7. Leopoldus quintus largus cognominatus, quem ob amorem pater majori filio Henrico in administratione præposuit & Marchiam annis sex gubernavit, orsus suam gubernationem à patris interitu anno 1136. et primo geniti sui Alberti fratris.

Marchio Austriæ 8. et ultimus & Austriæ Dux.

Austriæ Dux 2. & primus Stiriæ Leopoldus 6. cognominatus Virtuosus

Austriæ 3. Dux et Stiriæ 2. Fridericus I. catholicus cognominatus & Leopoldus 7. dictus gloriosus qui paternas inter se dividentes hæreditates: Fridericus Austriam, Stiriam Leopoldus sortitus est tanquam major natu.

Austriæ Dux 4. Luitpuldus 7. gloriosus, hic Burgum Viennæ extruxit.

Austriæ Dux 5. et ultimus, Fridericus 2. bellicosus.